

vel deferri, & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Aut si dictus Antonius praesens non fuerit ad praestandum de observandis statutis & consuetudinibus dictæ Ecclesiae S. Cassiani solitum juramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum, & cum ad Ecclesiam ipsam accesserit corporaliter illud praestet. Seu quod dictus Antonius, ut etiam afferit, plebanatum praefatae Ecclesiae S. Mariæ noscitur obtinere.

Volumus autem, quod dictus Antonius quamprimum vigore presentium dictum plebanatum S. Cassiani fuerit pacifice assequutus, plebanatum Ecclesiae S. Mariæ praedictæ, quem ex tunc vacare decernimus, omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimittere tenetur. Et insuper, prout est, irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel impostorum contigerit attemptari.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Inc. Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo secundo, septimo Kal. Septemb. pontificatus nostri anno secundo.

505) Quas quidem Literas Apostolicas praefatus D. Plebanus cum ea, qua decuit, reverentia recepit & acceptavit, & reverenter ac diligenter mandata Apostolica se exsecuturum esse obtulit.

506) Eisdem anno, mense, Indictione, die, pontificatu, comparuit coram praefato D. Nicolao de Cursio exsecutore memorato suprascriptus D. Antonius q:^m Michaelis, & humiliter supplicavit eisdem D. Exsecutori Apostolico, quatenus dignare-